

www.e-rara.ch

**Officia Propria Sanctorum ex Proprio Constantiensi & Monasterii S.
Galli**

Angehrn, Beda

Typis ejusdem Monasterii S. Galli, Anno MDCCXCV [1795]

Stiftsbibliothek St. Gallen

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-128841>

Festa Augusti.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

FESTA AUGUSTI.

*Die VII. Augusti.*S. AFRÆ Martyris,
*duplex.**Capitulum.* Confitebor. *Oratio:* Deus, qui inter cætera.*Lect. I. Nocturni*
Confitebor.*In II. Nocturno.**Lectio IV.*

Afra, genere Cypria, a fide Christi primum aliena, Sacrisq; Veneris turpiter more gentilium a parentibus idololatriæ consecrata, Augustam Rhætorum una cum Hilaria matre proficiscitur, ubi beati Narcissi Gerundensis Episcopi, qui ad eam declinandæ persecutionis studio cum Felice Diacono fugerat, prædicatione ad Christi fidem convertitur, & Baptismi: Sacramento cum

tota familia expiatur. Eam autem inter alias secutæ sunt Christo nomen dando Hilaria mater, Digna, Eunomia, atque Eutropia famulæ, Dionysius avunculus, Afer patruus, aliique quam plurimi, quorum nomina nobis interiere, Angelis notissima.

*Rc. Propter veritatem.**Lectio V.*

Post hæc sanctus Narcissus Episcopus Dionysium Afræ avunculum, eis Episcopum ordinavit. Hilaria domum in Ecclesiam mutavit, ubi Sacrificium Missæ celebraretur, divina officia recitarentur, Christi Evangelium fidelibus aperiretur. Quibus peractis in Hispaniam profectus, cum Gerundæ multos ad Christi Ecclesiam aggregasset, ibidem in Aureliana persecutione cum Felice Dia-

cono

cono Martyrii palmam accepit. Afra vero divino amore inflammata admirabili pietate christianam Religionem colens, una cum matre Hilaria pecuniam ex vendito patrimonio, aliisque quæ possidebant, redactam pauperibus distribuit: seque jejuniis & orationibus dedit, quo facilius posset Deum, quem toto cordis affectu diligebat, invenire, deosculari, atque amplecti.

Rc. Dilexisti.

Lectio VI.

Afra igitur precibus, aliisque pietatis operibus intenta apud Gajum præsidem, quod christiana esset, accusatur. Quam cum ille nec precibus, nec minis ad idolorum cultum perducere posset, quinimo eam hoc ipso christianæ fidei colendæ ac

profitendæ studio ardentiorer videret, ira etiam atque etiam inflammatus vivam comburi imperat. Quam ob rem igne circum ipsam palo alligatam succenso, Christum, cujus amore patiebatur, sibi ipsi ante oculos proponens, alacris ad cælum ad sempiternam Martyrii coronam evolavit, Nonis Augusti, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus: ejus corpus, quod flamma non consumpserat, noctu sustulit Hilaria mater cum Sacerdotibus Dei, & secundo ab Urbe milliario honorifice sepelivit. Quo in loco cum ad filiæ sepulchrum oraret, ibidem pro fide Christi a persecutoribus igni tradita est, simul cum Digna, Eunomia, atque Euprepia ancillis suis, sicque simul unanimis ad eundem, in quem crediderant, Jesum Christum Martyrio

decoratæ emigrarunt. Passi sunt etiam eadem die apud eandem urbem alii viginti quinque pro nomine Christi, e quorum numero fuere Quiriacus, Largio, Crescentianus, Eutychianus, Charito, Philadelphus, Petrus, Nimmia, Juliana, Diomeda, Leonide, Agape, & alii tredecim, quorum nomina Deus novit. Hos secuti sunt Afer sanctæ Afræ patruus, & Dionysius avunculus.

*Rc. Fallax est gratia, & vana est pulchritudo: * Mulier timens Deum, ipsa laudabitur. V. Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus. Mulier. Gloria. Mulier.*

In III. Nocturno. Homil. in Evangel. Simile est Regnum cælorum thesauvo abscondito. Missa: Loquebar.

Die XXI. Augusti.

S. JOHANNÆ FRANCISCÆ Fremior de Chantal Viduæ, duplex.

Omnia de Communi non Virginum.

Oratio.

Omnipotens & misericors Deus, qui beatam Johannam Franciscam tuo amore succensam, admirabili spiritus fortitudine per omnes vitæ semitas in via perfectionis donasti: quique per illam illustrare Ecclesiam tuam nova prole voluisti: ejus meritis & precibus concede, ut qui infirmitatis nostræ conscii de tua virtute confidimus, cælestis gratiæ auxilio, cuncta nobis adversantia vincamus. Per Domin.

In I. Nocturno. Lect. Scripturæ

In

*In II. Nocturno.
Lectio IV.*

Johanna Francisca Fremiot de Chantal Divione in Burgundia clarissimis orta natalibus ab ineunte ætate eximie sanctitatis non obscuras edidit significationes. Eam enim vix quinquenem nobilem quemdam Calvinistam solida supra ætatem argumentatione perstrinxisse ferunt, collatumque ab eo munusculum flammis illico tradidisse in hæc verba: En quomodo hæretici apud inferos comburentur, qui loquenti Christo fidem detrectant. Matre orbata Deiparæ Virginis tutelæ se commendavit, & famulam, quæ ad mundi amorem eam alliciebat, ab se rejecit. Nihil puerile in moribus exprimens, a sæculi deliciis abhorrens, martyriumque anhelans religioni, ac pietati im-

pense studebat. Baroni de Chantal nuptui a patre tradita, virtutibus omnibus excolendis operam dedit, liberos, famulos, aliosque sibi subjectos in fidei doctrina, bonisque moribus imbuere satagens. Profusa liberalitate pauperum inopiam sublevabat, annona divinitus non raro multiplicata; quo factum est, ut nemini se unquam Christi nomine roganti stipem abnegaturam sponderit.

Rc. Propter veritatem.

Lectio V.

Viro in venatione interempto, perfectioris vitæ consilium iniens continentiæ voto se obstrinxit. Viri necem non solum æquo animo tulit, sed in publicum indulgentiæ testimonium occisoris filium e sacro fonte suscipere sui victrix elegit. Modica familia,

tenui victu, atque vestitu contenta, pretiosas vestes in pios usus convertit. Quidquid a domesticis curis supererat temporis, precibus, piis lectionibus, laborique impendebat. Nunquam adduci potuit, ut alteras nuptias, quamvis utiles, & honorificas iniret. Ne autem a proposito castimoniam observandam in posterum dimoveretur, illius voto innovato, sanctissimum Jesu Christi nomen candenti ferro pectori insculpsit. Ardenter indies charitate fervescens, pauperes, derelictos, ægros, teterisque morbis infectos ad se adducendos curabat; eosque non hospitio tantum excipiebat, solabatur, fovebat, verum etiam sordidas eorumdem vestes depurgabat, laceras reficiebat, & manantibus fetidopute ulceribus labia admoveere non exhorrebat.

Rx. Dilexisti.

Lectio VI.

A sancto Francisco Salesio, quo spiritus moderatore usa fuit, divinam voluntatem edocta, proprium parentem, focerum, filium denique ipsum, quem etiam vocationi oblistentem pedibus calcare non dubitavit, invicta constantia deseruit, & sacri instituti Visitationis sanctæ Mariæ fundamenta jecit. Ejus instituti leges integerrime custodivit; & adeo fuit paupertatis amans, ut vel necessaria sibi deesse gauderet. Christianæ vero animi demissionis, & obedientiæ, virtutum denique omnium perfectissimum exemplar se præbuit. Altiores in corde suo ascensiones disponens, arduissimo efficiendi semper id, quod perfectius esse intelligeret, voto se obstrinxit. Denique sacro Visitationis instituto

ejus

ejus potissimum opera longe, lateque diffuso, verbo, exemplo, & scriptis etiam, divina sapientia refertis, ad pietatem, & charitatem Sororibus excitatis, meritis referta, & Sacramentis rite susceptis, Moli ni anno millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, die decima tertia Decembris migravit ad Dominum, ejusque animam occurrente sancto Francisco Salesio in cœlos deferri sanctus Vincentius a Paulo procul distans aspexit. Ejus corpus postea Añecium translatum fuit; eamque miraculis ante, & post obitum claram Benedictus Decimus Quartus Beatorum, Clemens Decimus Tertius albo Sanctorum adjecit. Festum autem ejusdem diem duodecimo Kalendas Septembris ab universa Ecclesia Clemens Decimus Quartus Pontifex

Maximus celebrari præcepit.

Re. Fallax.

In III. Nocturno. Homil. in Evangel. Simile est regnum cœlorum thesauro.

*Die XXVI. (alias 27.)
Augusti.*

S. JOSEPHI Calasanti
Confessoris, *duplex.*

*Omnia de Communi.
In Hymno: Iste Confessor, mutatur tertius versus.*

Oratio.

Deus, qui per sanctum Josephum Confessorem tuum ad erudendam spiritu intelligentiæ, ac pietatis juventutem, novum Ecclesiæ tuæ subsidium providere dignatus es: præsta, quæsumus; nos ejus exemplo, & intercessione ita facere, & docere, ut præmia consequamur æterna. Per Dominum.

In I. Nocturno. Lect.
Scripturæ.

In II. Nocturno.
Lectio IV.

Josephus Calasancius a Matre Dei, Petraltæ in Aragonia nobili genere natus, a teneris annis futuræ in pueris charitatis, & eorum institutionis indicia præbuit. Nam adhuc parvulus eos ad se convocatos in mysteriis fidei, & sacris precibus erudiebat. Humanis Divinisque litteris egregie doctus, cum studiis theologicis Valentia operam daret, nobilis, potentisque sceminae illecebris fortiter superaris, Virginitatem, quam Deo voverat, inoffensam, insigni victoria servavit. Sacerdos ex voto factus, a compluribus Episcopis in Castellæ Novæ, Aragoniæ, & Cataluniæ regnis in partem

laboris adscitus, expectationem omnium vicit, pravis ubique moribus emendatis, Ecclesiastica disciplina restituta, inimicitiis, cruentisque factionibus mirifice extinctis. At cælesti visione, & Dei voce frequenter admonitus, Romam profectus est.

Ꝟ. *Honestum.*

Lectio V.

In urbe summa vitæ asperitate, vigiliis, & jejuniis corpus affligens, in orationibus, & cælestium rerum contemplatione dies noctesque versabatur, septem ejusdem urbis Ecclesias singulis fere noctibus obire solitus, quem inde morem complures annos servavit. Dato piis sodalitatibus nomine, mirum, quanto ardore pauperes, infirmos potissimum aut carceribus detentos eleemosynis, omnique pie-

pietatis officio sublevarer. Lue urbem depopulante, una cum sancto Camillo tanto fuit actus impetu charitatis, ut præter subsidia ægrotis pauperibus large collata, ipsa etiam defunctorum cadavera suis humeris tumulanda transferret. Verum cum divinitus accepisset, se ad informandos intelligentiæ, ac pietatis spiritu adolentes, præcipue pauperes, destinari, Ordinem Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum fundavit, qui peculiarem circa puerorum eruditionem ex proprio instituto profiterentur: ipsum Ordinem Clemente Octavo, Paulo Quinto, aliisque Summis Pontificibus magnopere probatum, brevi tempore per plurimas Europæ Provincias, & Regna mirabiliter propagavit. In hoc autem

tot labores perpeffus est, ac tot ærumnas invicto animo toleravit, ut omnium voce miraculum fortitudinis, & sancti Jobi exemplum diceretur.

R. Amavit.

Lectio VI.

Quamvis Ordini universo præesset, totisque viribus ad animarum salutem incumberet, nunquam tamen intermisit pueros, præsertim pauperiores, erudire, quorum scholas verere, eosque domum comitari consuevit. In eo summæ patientiæ, & humilitatis munere, valetudine etiam infirma, duos & quinquaginta annos perseveravit: dignus propterea, quem crebris Deus miraculis coram discipulis illustraret, & cui beatissima Virgo cum puero Jesu, illis orantibus benedicente, appareret. Amplif-

simis interim dignitatibus repudiatis, prophetia, abdita cordium, & absentia cognoscendi donis, & miraculis clarus, Deiparæ Virginis, quam singulari pietate & ab infantia coluit, & suis maxime commendavit, aliorumque Cælitum frequenti apparitione dignatus, cum obitus sui diem, & Ordinis tunc prope everfi restitutionem, atque incrementum prænuntiaffet, secundum & nonagesimum annum agens, Romæ obdormivit in Domino, octavo Kalendas Septembris, anno millesimo sexcentesimo quadragésimo octavo. Ejus cor, & lingua post sæculum integra, & incorrupta reperta sunt. Ipse vero multis post obitum quoque signis a Deo illustratus, primum a Benedicto Decimo Quarto Beatorum cultu, ac deinde a Clemente De-

cimo Tertio inter Sanctos solemniter est relatus.

Rc. Iste homo.

In III. Nocturno.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 18.

In illo tempore accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Quis putas, major est in regno cælorum? Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysofomi.

*In Cap. 18. Matth.
Hom. 60.*

Widete, ne aliquem istorum contempseritis parvulorum, quia eorum Angeli Patris mei faciem semper aspiciunt, & quia ego propter eos veni, & hæc Patris mei voluntas est. Ad tuendos, conservandosque pupillos diligentiores nos

red-

reddit. Perspicis quam ingentia in tutelam tenuium mania erexerit, & quantum studium, curamque habeat, ne perdantur, tum quia supremas decipientibus eos pœnas statuit, tum quia summam pollicetur mercedem his, qui curam eorum suscipiunt, idque tam suo, quam Patris exemplo corroborat.

Ex. Iste est.

Lectio VIII.

Dominum igitur etiam nos imitemur, & nihil pro fratribus omitamus, etiam eorum, quæ humilia, viliaque nimium videntur: sed si administratione nostra etiam opus fuerit, quamvis tenuis atque abjectus quidem, cui administrandum sit, fuerit, quamvis ardua nobis res, atque laboris plena esse videatur, omnia hæc pro fratris salute tole-

rabilia, facilioaque, oro, videantur: Tanto enim studio, tantaque cura Deus dignam esse animam ostendit, ut neque Filio suo pepercerit.

Ex. Sint lumbi vestri.

Lectio IX.

Si non est nobis satis ad salutem, quod virtuose ipsi vivamus, sed oportet aliorum salutem re ipsa desiderare; cum neque nos recte vivamus, neque alios hortemur, quid respondebimus? quæ nobis spes salutis reliqua erit? Quid majus, quam animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores? Omni certe pictore, omni certe statuario, cæterisque hujusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui juvenum animos fingere non ignoret.

Te Deum laudamus.

Die

Die XXVII. Augusti.

S. GEBHARDI Episcopi Confessoris,
duplex.

Oratio: Exaudi, ex
Communi.

In I. Nocturno. Lect.
Scripturæ.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Gebhardus hoc nomine secundus Constantiensis Episcopus, Comes Brigantinus parentes habuit Uttonem, & Thietburgam ex præclarissimo Alemañorum genere procreatos, pueritiam litteris grammaticalibus addiscendis consumpsit; adolescens mirum est, quanta animi puritate atque innocentia lubricam illam ætatem transegerit; nam apud cives eam probitatis, integritatisque opinionem adeptus est, ut

Gaminolpho Constantiensi Antistite, qui sancto Conrado successerat, ex hac vita sublato, summo omnium consensu atque lætitia, anno Incarnationis Dominicæ nongentesimo octogesimo, Ottonis secundi octavo, Episcopus creatus sit.

Rc. Inveni.

Lectio V.

Factus Episcopus humilitatem, castitatem, aliasque virtutes perpetuo dilexit, catholicam fidem, & disciplinam Ecclesiasticam acerrime defendit, satis amplum ac lautum patrimonium, quod ei pii parentes reliquerant, pauperibus distribuit, illud Domini secum animo volvens: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis. Monasterium beati Gregorii

Pa-

Papæ nomine, anno post Christum natum nongentesimo octogesimo tertio magnificentissime extruxit. Collegium præterea Monachorum, qui diu noctuque Deo deservirent, instituit, quod multis prædiis attributis locupletavit, ac muneribus amplissimis exornavit.

Rc. Posui.

Lectio VI.

Beatus itaque vir Ecclesiam sibi commissam cum sexdecim annos sanctissime administrasset, tandem Dei benignitate, datis præclaris sanctitatis suæ testimoniis, cumulatus meritis quievit in Domino, sexto Kalendas Septembris, anno a Virginis partu nongentesimo nongentesimo sexto, Gregorii Papæ hoc nomine Quinti anno secundo, Ottonis Imperatoris de-

cimo tertio. Incredibile quidem dictu est, quantum mortuus apud omnes sui desiderium reliquerit. Ejus Corpus honorifico sepulchro traditum est.

Rc. Iste est.

In III. Nocturno. Homil. in Evang. Vigilate. Missa: Sacerdotes tui.

Die XXVIII. Augusti.

S. PELAGII Mart. Patroni Diceces. Constantiensis.

duplex 1. Classis.

Oratio: Præsta- ut qui.

In I. Nocturno. Lect. Fratres. ex Communè plur. Mart.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Pelagius Martyr, Emone superioris Pannoniæ christianis ortus parentibus, puerulus, cum

cum nondum ætatis septimum annum excessisset, Uranio perfectissimæ, sanctissimæque vitæ Presbytero in fide Christi erudiendus traditur. Apud quem Pelusio patre, matre Hilaria mortuis, Domino, cui se totum devoverat, omni cum humilitate, & lacrymis serviens morabatur: ubi admirandis sanctarum virtutum progressionibus ad eam vitæ perfectionem brevi devenit, ut præclarissimam Martyrii coronam consequi meruerit. Facultates vero, quas ex relicto patrimonio possidebat, in Christi pauperes erogavit, illam nimirum secutus sententiam: Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.

Sc. Honestum.

Lectio V.

Quo tempore cum gentilium persecu-

tio Numeriano Imperatore in Christianos ferret, sic, ut ubique cruciatibus miserandum in modum subicerentur, Pelagius Christi virtute munitus, cum tantam fratrum suorum stragem ferre amplius non posset, Constantiam, ut postea locus nominari cœpit, profectus, Evilasium præsidem Christianis infensissimum adiit, eique nefariam immanitatem objiciens, Christi fidem ad salutem necessariam esse rationibus ostendit. Quam ob rem ira excandescens Evilasius, eum catenis vinctum in tenebricosum & fœtidum cacerem detruendi mandavit, ubi eo orante clarissima lux locum illustravit. Verum post dies tres Præsidis jussu e custodia eductus, cum ab eo nullo modo impetrari posset, ut christianam religionem deserens, deos veneraretur,

acer-

acerbis verberibus cæditur, equuleo torqueatur, unguis excarnificatur, oleo ferventi perfunditur; quæ omnia sanctus Martyr forti, constantique animo patiebatur.

℞. Desiderium.

Lectio VI.

Post hæc cum in christiana religione nihilominus constantissime perseveraret, mandavit præses, ut per pavimentum testarum fragmentis, & candentibus carbonibus stratum sanctus Juvenis miserandum in modum raptaretur. Quod dum fieret, conversus ille ad tyrannum: Erubescite, inquit, miser; tormenta enim hæc mihi deliciæ videntur. Quibus verbis usque adeo Evilasius ira concitatus est, ut eum extra urbem securi percuti juberet quinto Kalendas

Septembris. Cujus corpus Uranius Presbyter eodem loco, quo Martyrii Palmam adeptus est, sepulturæ mandavit.

℞. Stola jucunditatis.

In III. Nocturno. Homil. in Evangel. Si quis venit, de Mart. Pont.

FESTA SEPTEMBR.

Die I. Septembris.

S. VERENÆ Virg.
Mart. duplex.

Oratio: Deus, qui inter cætera.

In I. Nocturno. Lect. Confitebor.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Verena Virgo, Thebæa genere, Diocletiano Jovio, Maximianoque Herculeo Imperatoribus honestis parentibus nata, Episcopo